

QVINQVE COLVMNARVM

Exacta descriptio atque deliniatio, cum symmetrica earum distributione, conscripta per Ioannem Bluom, & nunc primum publicata.

VTILIS est hic liber pictoribus, sculptoribus, fabris ærarijs atq; lignarijs, lapicidis, statuarijs, et uniuersis qui circino, gnomone, libella, aut alioqui certa mensura opera sua examinant.



TIGVRI APVD CHRISTOPHORVM FROSCHOVERVM, ANNO M. D. L.

ORNATISSIMO ET PRVDENTISSIMO TIGVRINAE VRBIS AEDILI, D. ANDREAE SCHMID, DOMINO SVO COlendo, Ioannes Blům S. D.



NNIS iam aliquot uix mihi temperare potui, quin aliquid artis architectonicæ de quinque columnarum generibus in lucem ederem. Interea tamen sperabam architecturæ peritos publicæ utilitatis caussa laudatissimam hanc artem euulgaturos esse. Verum quoniam præter omnem spem, siue inuidia quadam, siue lucro ducti, siue alijs caussis permoti, sua hactenus suppresserunt, ego etsi ingenio neutiquam summis artificibus cōparandus sim, tamē statui hunc artis thesaurum harū artium studiosis communicare. Quod ut commodius fieri possit, breuiter quinque columnarum architecturæ inuentionem perstringam.

Columnarum igitur prima & antiquitus Dorica est nata, à Doro principe Achaiæ Peloponnesique initium sumens. Is nanque Argis ædificauit eius generis fortuito formæ phanum, deinde eiusdem generis in cæteris Achaiæ ciuitatibus, cum etiamnum non esset symmetriarum ratio nata. Postea autem quàm Athenienses in Asia belligerantes, Ione Xuthi filio duce constituto, Cariam occuparunt, eam terræ regionem, à duce suo Ione appellauerunt Ioniam, ibique templa deorum constituentes cœperunt phana ædificare, & primum Apollini Panionio ædem uti uiderant in Achaia constituerunt, & eam Doricā appellauerunt, quod in Dorieon ciuitatibus primum factam eo genere uiderunt. In ea æde cum uoluissent columnas collocare, non habētes symmetrias earum, & quærentes quibus rationibus efficere possent, uti & ad onus ferendum essent idoneæ, & in aspectu probatam haberent uenustatem, dimensi sunt uirilis pedis uestigium, & cum inuenissent pedem sextam partem esse altitudinis in homine, ita in columnam transtulerunt, & qua crassitudine fecerunt basim scapi, tantum eam sexies cum capitulo in altitudinem extulerunt. Ita Dorica columna uirilis corporis proportionem & firmitatem & uenustatem in ædificijs præstare cœpit. *Vitruuius libro 4. cap. 1.* *Dorica.*

Item postea Dianæ constituere ædem quærentes noui generis speciem, ijsdem uestigijs ad muliebrem transtulerunt gracilitatem: & fecerunt primum columnæ crassitudinē altitudinis octaua parte, ut haberent speciem excelsiorem, basi spiram supposuerunt pro calceo, capitulo uolutas, uti capillamento cōcrispatos cincinnos præpendentes dextra ac sinistra collocauerunt, & cymatijs & encarpis pro crinibus dispositis frontes ornauerunt, truncoque toto strias uti stolarum rugas matronali more demiserunt. Ita duobus discriminibus columnarum inuentionem, unam uirili sine ornatu nudam specie, alteram muliebri subtilitate & ornatu symmetriaque sunt imitati. Posteri uero, elegantia subtilitateque iudiciorum progressi, & gracilioribus modulis delectati, septem crassitudinis diametros in altitudinem columnæ Doricæ, Ionicæ octosemis constituerunt. Id autem quod Iones fecerunt primo, Ionicum est nominatum. *Ionica.*

Tertium uero genus, quod Corinthium dicitur, uirginalis habet gracilitatis imitationem, quod uirgines propter ætatis teneritatem gracilioribus membris figuratæ effectus recipiunt in ornatu uenustiores. Eius autem capituli prima inuentio sic memoratur esse facta. Virgo ciuis Corinthia, iam matura nuptijs, implicita morbo decessit. Post sepulturam eius quibus ea uiua poculis delectabatur, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum & in summo collocauit, &, uti ea permanerent diutius sub diuo, tegula texit. Is calathus fortuito supra acanthi radicem fuerat collocatus, interim pondere pressa radix acanthi media folia & cauliculos circa uernum tempus profudit, cuius cauliculi secundum calathi latera crescentes, & angulis tegulæ ponderis necessitate expressi, flexuras in extremas partes uolutarū facere sunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam & subtilitatem artis marmoreæ ab Atheniensibus Catatechnos fuerat cognominatus, præteriens hoc monumentum, animaduertit eum calathum, & circa foliorum nascentem temeritatem, delectatus genere & formæ nouitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, capitulique symmetriam & proportionem adiunxit: ueluti in columnæ deliniatione perspici potest. Sunt præterea capitulorum, quæ columnis his imponuntur, uaria genera atque formæ, quæ tamen suam originem à Corinthijs, Ionicis & Doricis columnis ducunt, diuisionemque retinēt. Atque hæc est Corinthiæ inuentio Corinthi facta uirginali longitudine. Veluti enim Ionica ad muliebris corporis imitationem octo est partium, sic Corinthia nouem partium uirginalem gracilitatem exprimit. *Corinthia*

E tribus his generibus gracilius quoddam inuentum est quàm sit Corinthium, idque genus Compositum appellatur. Componitur ex tribus prædictis columnarū generibus, & his apta proportione coniunctis ab architectis inuentum est. Longissima hæc est omnium proportione decem partium: ut in figura cernitur. *Composita.*

Tuſcana. Poſt inuētionem nominatarum columnarum Tuſcana originem ſumpſit, teſte Plinio, antiquum columnæ genus. Nanq; Tuſci à Græcis ortum habere perhibentur, quapropter etiā magna ex parte cum Dorica conuenit. Tradunt autem architecti quidam, à Tuſcano hanc denominatam, qui Germanorum generis author eſſe fertur. Eſt autem Tuſcana craſſiſſima & robuſtiſſima omnium, ideoq; etiam à robore nomen ſortita. Atq; hac de cauſſa Tuſcana primum locum in ordine obtinet: habet enim ſex partes in altitudine, Dorica uero ſeptem, Ionica octo, Corinthia nouem, Compoſita decem.

Atq; hæc eò præfati ſumus, quo hæc ars non nuper inuenta, ſed ante multa ſæcula extitiſſe cognoſcatur, temporibus regis Solomonis, qui, Ioſepho teſte, templum Hieroſolymitanum ac regiam Corinthiaco more conſtruxit. Romæ etiam, Venetijs, atq; per omnem Italiā hæc ars in uſu fuit: demum uero octo abhinc annis ad Germanos peruenit, à quibus uera Symmetria adeò illuſtrata eſt, ut nec Romani, nec Veneti certas adeo huius artis rationes unquam habuerint, quales nunc in his columnis demonſtrantur, cum in altitudine, tum craſſitudine, latitudine, contractura, proiectura & ſimilibus, ut ne linea quidem aliqua, uera ſua ſymmetria & diſtributione careat.

Hæc habui, uir ornatiſſime, quæ perſpicuitatis gratia præmittenda putaui, ſperans hanc meam diligentiam & promptam uoluntatem ſtudioſis non ingratam fore. Quoniam tamen multi reperiuntur, quibus nihil perfectum, nihil arte elaboratum, nihil approbatione ac laude dignū uidetur quod non ipſi inuenerint, hunc meum laborem tuo nomini inſcribere uiſum eſt, partim quo tui nominis authoritate maleuolorum calumniæ aliqua ex parte comprimātur, partim quod te cum mei tum omnium artificum ſtudioſum eſſe cognoui. Precor etiam, ut hanc meam uoluntatem grato animo ſuſcipias, & mea opera, in quibuſcunq; rebus inſeruire poſſum, alacriter utare. Vale.

I.

TVSCANA.

PRIMA hæc columna robore ſuo ruſtico comparatur, hinc etiam ruſticanum opus appellatur. Huius altitudo in nouem partes diuiſa eſt, quarũ duæ ſtylobatam baſimq; totam conſtituunt. Hæ item in ſex partes diuiſæ, una inferiori, altera ſuperiori cymatio tribuatur: quatuor reliquæ deſcribant quadratum, quod duo diametri interſecent. Quadrato inſcribatur circulus, huic item aliud quadratum, cui circulus inſcriptus ſcapi craſſitudo erit, quadratum uero exterius erit baſis latitudo. Quadrati autem medij ex octo partibus duæ contractura ſcapi erunt. Latitudo autem cymatij plinthi diuiditur in ſex partes, quarum una emineat, uel quadratum, ut in dextro latere notatum cernis.

Inferius cymatium (quod baſim alioqui nominamus) ſiniſtri lateris in duas diuiditur partes, quarum una plinthus erit, altera in quatuor partes diuiditur, earum partiũ una quadra ſupra lyſim erit, alia autem quatuor partium in duas diuiſa, regulam infra lyſim conſtituit, ipſa autem lyſis quadrate proijciatur, totaq; proiectura ſeptima pars latitudinis ſtylobatæ erit.


Superius cymatiũ (quod & coronix ſtylobatæ noĩatur) in quatuor partes diuiditur, una inferiori lyſi, duæ plintho, quarta aſtragalo & regulæ datur, ita ut ſit aſtragalus duplo maior quàm regula.

Cymatium ſcapi quod ſtylobatæ imponitur, mediam columnæ craſſitudinem habet. Eius ex duabus partibus una plinthus erit, altera in tres partes diuidatur, quarum duæ toro, reliqua regulæ tribuatur. Craſſitudo eius quæ inter exterius & interius quadratum, regula quadratum columnæ emineat, reliquum toro detur.

Altitudo ſcapi ſex craſſitudinis partium eſt cum ſuo cymatio & capitulo.

Capitulũ latum erit quantum ſcapi pars media. Eius trium partium una abaco, altera toro, reliqua zophoro tribuitur. Toro quarta pars adempta regulam facit.

Zophorus in duas partes (quas cruce notauimus) diuiditur, earum



una latitudo est teniæ, quæ tamen iterum in tres partes diuiditur, quarũ una regulæ, duæ astragalo tribuentur. Octaua pars craßitudinis scapi, proiectura erit capituli. Tertia quadrate proijciatur.


Contractura scapi hac ratione fiat. Scapus inter duo cymatia in sex diuidatur partes, earum duæ partes inferiores, quæ altitudinis pars sunt tertia, maneant. Vtrinq; autẽ ad partem octauam (ab infima ad summam diuisione facta) ducantur lineæ, & supra partis tertiæ lineam constituatur circulus. Circulus lateri applicetur, & ad octauam sinistri lateris partem in quatuor diuidatur partes, quæ transuersis signentur lineis, ut in figura designatur. A singulis partibus rectæ ducantur lineæ, ab exteriori primum ad sextam scapi partẽ, deinde & à reliquis pariter. Ductis his lineis contractionis lineæ à transuersis suis lineis ducantur ad alias, & sic consequetur scapus suam entasim.

Capitulo epistylion imponitur, quod dimidiam craßitudinis scapi altitudinem habet. Epistylij sexta pars lysi tribuitur, quæ in tres diuisa partes, una regulam, duæ lysim constituunt. Quinq; uero aliæ epistylij partes in nouem diuiduntur, quarum quinq; superiori, quatuor inferiori fasciæ dabuntur, proiecta hæc & imposita ut figura exprimit.

Epistylium sequitur Zophorus, cuius item altitudo dimidia columnæ craßitudo est.

Zophoro Coronix seu summa trabeatio imponitur, eiusdẽ cum zophoro altitudinis, proiectura eius altitudini æqualis est. Diuiditur autem in quatuor partes, quarũ prima lysi inferiori tribuitur, cuius tertia pars fasciam, duæ reliquæ lysim constituunt. Trium autem reliquarum partium coronicis, una toro superiori & regulæ tribuatur, quarta scilicet pars regulæ, tres toro: duæ reliquæ è primis partibus, ad proiecturã desumuntur, quæ altitudini æqualis est. Inferior autem pars in undecim partes diuidatur, quarum semper duæ regulæ, una detur canaliculo. Horum tres eiusdem cum latitudine profunditatis constituantur.

Hæc igitur est huius columnæ descriptio, propriam omnium partium symmetriam habens, qua ueteres Romani & Veneti usi sunt.



[illegible]

[illegible]

De l'ordre Toscan

[illegible]

Les mo[illegible] [illegible]

[illegible]puis le [illegible] jusqu'[illegible] [illegible]


[illegible] est [illegible] de [illegible] du [illegible] [illegible] Tous, [illegible]

le [illegible] entier, et tous les autres [illegible]

si vous voulez [illegible] la [illegible] Colonne, [illegible] quatres [illegible]

les Croisées de maniere que vous les voyez dans la figure —

[illegible] Composé, toutes les [illegible] de maniere qui vient d'être dit cette Colonne en sa mesme simetrie et sa mesme proportion, que vous la voyez dans la figure —



II.
DORICA.

SECVNDA *columna giganti comparatur. Altitudo columnæ in octo partes diuiditur, earum duæ stylobatæ altitudo erunt. Diuiduntur autem duæ hæ partes, in tres alias, harum una scapi crassitudo, ac septē tales altitudo eiusdem, cum suo cymatio & capitulo erunt: sicq; erit scapus stybolata adiuncta decem partium. Diuidatur crassitudo scapi in partes quatuor, harũ duæ adiunctæ stylobatæ latitudinem faciunt: adiungatur item utrinq; una cymatio scapi seu stylobatæ. Altitudo stylobatæ in partes septem diuiditur, quarum duæ extremæ, superius & inferius cymatium constituunt, quinq; reliquis partibus quadratum latitudine stylobatæ inscribitur, eius diameter stylobatæ altitudo erit. Diuidatur cymatiũ imum in duas partes, una plinthus erit, altera in tres diuisa, duæ toro, tertia superiori regulæ tribuatur dextro in latere. Sinistro autē latere in duas itidem partes diuiso, prima plinthus est, secunda itidē in duo secetur, unaq; toro inferiori detur, altera in tres diuidatur, duæ torum, tertia facit regulam, ipsi uero quadrate proijciantur. Crassitudo uero cymatij utriusq;, sexta pars latitudinis stylobatæ erit. Dextrum uero ac superius scapi cymatium, in quinq; partes diuidatur, una astragalo, duæ lysi, & aliæ duæ plintho cedent. Sinistri uero lateris eiusdem scapi quatuor partes erunt, una astragalus, duæ lysis, reliquum plinthus est.*

Scapi cymatium quod stylobatæ imponitur, media scapi crassitudine est: eius tertia pars plinthus fit, reliquũ in quatuor partes secetur, earum una fiat superior torus, quæ restant, in æquas duas partes ut diuisæ erunt, una dabitur toro inferiori, altera trochilo siue scotiæ, sed istius septimis partibus fiant regulæ duæ quibus clauditur. Ac superior quidē regula fiet, si decimaquarta scapi pars, dimidia latitudini, & alia medietas proiecturæ tribuatur. Reliqua ea ratione quæ in scapi ichnographia expressa est proijciantur.

Contractura scapi utrinq; decimaquarta parte fiat, uelut de Tuscana dictum est, ut summus scapus duodecim sit partium.

Capituli crassitudo dimidia imi scapi pars est, in tres diuisa partes, zophorus una, alia echinus, et tertia quadra. Dimidia zophori pars tænia sub zophoro erit, echini inferior

pars tertia, regula erit, quadræ itidem tertia, sima est. Singulæ autem partes sic proijciātur, ut quæuis quadratum emineat.


Capitulo Epistylion imponitur, 5 dimidiam habens scapi craßitudinem, eius pars septima tenia est, tantumq; eminet quanta scapi contractura est, et ea quæ in figura expressa est ratione imponitur.

Sequitur zophorus, eius altitudo sinistro in latere, trium partium est, qualium epistylium duas ex quibus constet, habet. Tertia zophori pars in tria secanda est, & harum una pars, erit regula supra triglyphum, qui hoc modo fit. Altitudo eius ab epistylio ad superiorem regulam in tres partes est diuidenda, earum partiū duas latus, tres altus erit. Media 4 latitudo in sex partes diuidatur, earū una fasciam, duæ plinthum, & duæ canaliculū efficiunt. Craßitudo qualis in figura exprimitur signata o litera. Sub triglypho guttæ sex pendent, harum latitudo sexta altitudinis epistylij pars est, regula autē unde pendēt ipsarum pars est quarta.

Zophoro coronix seu trabeatio imponitur, eiusdem cum epistylio altitudinis. Duas in partes primum diuidenda, quarum prima in quatuor secanda, harum una simam, duæ coronam, reliqua huic impositam minorem simam efficit. Secunda pars in septem secata, sima est coronæ imposita, & septima pars adiecta, regula supra simā erit. 3 Proiectura huius quadrata est. Proiectura uero coronæ supra simā hoc modo fit: Epistylium in tres partes diuidatur, duæ uero proiectura erunt coronæ.

Dextrum uero latus sic conficitur: Epistylium in tres partes diuide, quatuor talium partium zophorus altitudinem habet, totidemq; coronix. Zophori decima pars regula supra capitulum erit, ipsum autē capitulum eo quo dictum est modo diuidatur. Coronix uero in nouem partes secanda est, quarum duæ fascijs duabus dabuntur, una torum, duæ mutilos, duæ coronam, duæ simam. Mutilis in tribus partes diuisis, una sima supra eos erit, & proiectura superior huic fiat similis. 2 Duæ inferiores partes quæ fascijs dantur, in sex secentur, duæ inferiori, tres superiori fasciæ ascribuntur, residuam regula sub toro retinet. Mutili uero hoc fiunt modo: Torus à medio ad dextram extremitatem in sex partes diuiditur, una dimidio, & tribus omissis, duæ integro mutilo cedent, tres proijciuntur, omnes uero aliæ partes quadrate proijciantur. Quod si columnam striare uolueris, uigintiquatuor striges facias, eas uero hac ratione quæ in ichnographia deliniatur, excauabis.

Omnibus igitur partibus præscripta ratione dimensis, ueram symmetriam & proportionem, columna 1 hæc habebit, quam etiā pictura hæc ostendit.



[illegible]

[illegible] quatre parties [illegible]

[illegible]

III.

IONICA I.

TERTIA colūna ad muliebr subtilitatis imitationem (quod & in præfatione diximus) cōstruitur. Altitudo columnæ in septem partes diuidenda est, quarum una (litera a notata) in duas & uiginti partes secetur, totaq; imi plinthi latitudo est. Vtrinq; autem tres omissæ imum cymatium faciunt, & sedecim quæ relinquuntur, scapi craßitudinem.

Scapi autem altitudo, cymatio et capitulo coniuncto, octo craßitudinis suæ partium est.

Basis mediam craßitudinis scapi altitudinem habet, in tres diuisa partes, quarum una plinthus est: quæ supersunt in septem diuidantur partes, & tres cedent toro superiori, residuum uero in octo partes secandum est, harum duæ medij astragali erunt, dimidium uero unius partis erit regula.


Regula toro imi cymatij imposita hoc modo fit. Latitudo scapi in duodecim partes diuiditur, quarum una utrinq; scapi contractura est, me dietas uero unius partis regulæ latitudo & ecphora erit. Reliquæ autē partes sic ut in ichnographia cymatij exprimitur, proijciantur.

Summitati scapi capitulū imponitur, cuius hæc est constructio. Imi scapi latitudo in duodeuiginti partes secanda est, quas ad summitatem capituli media parte utrinq; adiuncta transferas, cui autē hæ partes inscribuntur, regula, dimidiā partem lata est. Vna ex his partibus simā facit, sic ut sesquipartem cum regula alta sit. Ex his igitur regulæ duodeuiginti partibus, nouem lateri applicentur, quas ita distribues, ut pars una simæ, duæ trochilo uolutæ, duæ echino oui culis ornato, una astragalo baccis scalpto cedat, quæ autē residuæ sunt partes tres, inferiori semicirculo uolutæ tribuantur.

Sub uoluta quatuor ex his duodeuiginti partibus zophorum constituunt. In ipsa uero summitate scapi, tenia fiat, alta duodecimam partē latitudinis scapi, tertia huius pars regula est, residuū uero astragalo altitudini suæ æquā proiecturā habenti, dabitur.

Voluta autē seu chonchoides linea ea forma et ratione describitur, quæ in deformatione maioris uolutæ, Ionicæ columnæ, expressa est.

Pro scapi contractura, columna ab imo cymatio in sex æquas partes diuidatur, quarum duas omittito. Ab ima autē duodecima parte scapi utrinq; ad summum duc rectas lineas, & transuersas per singulas senariæ huius diuisionis partes: hisq; lineis omnibus ductis, supra secundæ partis



lineam semicirculum, interuallo latitudinis medij scapi, facies: Hinc uero arcus duos semicirculi qui inter erectas lineas comprehenduntur, in quatuor æquas partes diuides, quibus p transuersas lineas coniunctis, earum prima ac summa, lineam à duodecima parte erectam, eo quo circulum secat loco, cõtingit: & ubi linea hæc erecta ad finẽ sextæ partis scapi pertingit, etiam à reliquis circuli sectionibus lineæ ducantur, quæ huic coincident. His lineis ductis lineæ contracturæ à semicirculo ducantur, ueluti in figura deliniatur. Et hac ratione columna hæc apte contrahitur.

Capitulo imponitur epistyliũ, altum dimidia imi scapi crassitudine. Hoc septem in partes primum secandum est, quarum una simæ ita tribuitur, ut tertia eius pars cedat regulæ, sex quæ restant, in partes duodecim diuidantur, quæ in tres fascias ita distribuentur, ut ima tres habeat partes, media quatuor, summa quinq;, et ea quã figura exprimit ratione, proijciantur ac collocentur.

Zophorus sequitur eiusdem cum epistylio altitudinis, in nouẽ partes diuisus, quarũ una paruula sima sub denticulo est, residui tertia pars regulam, & duæ aliæ simam faciunt.


Simæ imponũtur dentes quadranguli, quorũ altitudo mediæ epistylij fasciæ æqualis est, & altitudini æqualiter proijciuntur, latitudo uero eorum media altitudinis pars est, & latitudinis duæ partes tertiæ, faciunt spaciũ quod inter duos cauum relinquitur. Denticulo adiungetur cymatium symum, altum sexta ipsius parte, tertia eius pars regula, residuum sima est quadrate proiecta.

Corona hinc fit eadem altitudine qua epistylij media, tertia eius pars sima est, & residuum fascia, proiectura eadem quæ & zophori, ut in pictura cernitur.

Summæ extremitati columnæ coronix imponitur, cuius altitudo eadẽ est quæ mediæ epistylij fasciæ (quam cruce notauimus) septima parte addita, sexta eius pars regulæ, ac quod superest simæ cedet, ipsa autẽ regula æquã altitudini proiecturã habebit.

Columnam si striare uolueris, tota eius circũferentia in partes quatuor & uiginti diuidenda est, quarũ unius pars quinta, stria, & quod superest strix siue canaliculus erit.

Hæc itaq; uera est huius columnæ symmetria atque proportio, qua architectorum excellentissimus Marcus Vitruuius Romæ quondã ac Corinthi usus est.



IONICA II.

ALIVD genus Ionicarum columnarum eſt, Ionicæ abſq; ſtylobata ſimile admodum, ut in delineatione clare cernitur.

Altitudo columnæ in quatuordecim partes primo diuiditur, carū partium ſtylobata tres alta erit. Ipſa autem ſtylobata in octo partes eſt diuidenda, quarū duæ extremæ, duo ſtylobatæ cymatia ſummū et imum conſtituunt, reſiduum in tres partes diuiditur, earum duæ latitudo ſtylobatæ erunt.

Duo cymatia dextri lateris hoc modo fiunt. Baſis in tres partes ſecanda eſt, quarum ima plinthus erit, ſecunda uero ſima plinthi eſt, quæ in ſex partes diuidetur, harū una regula ſupra plinthum, altera, regula ſupra ſimam, erit. Tertia uero pars baſis in duas æquas partes ſecetur, quarū una toro datur, altera trochilo, cuius quinta pars regula ſub toro eſt. Torus autem tertia ſui parte regulam ſuperiorem facit, & proiecturam habet, ſextam partem latitudinis ſtylobatæ.


Superius cymatiū ſeu coronix ſtylobatæ, prima ſectione in duas partes diuiditur, quarū ſuperior in tres alias ſecanda eſt, earū duæ faſciam, tertia ſimā facit; inferioris uero partis, pars quarta faſcia eſt, tres aliæ ſima, cuius ſextam eamq; ſuperiorē partē regula tenet. Proijciātur hæc omnia quadrate, ea ratiōe qua baſis.

Siniſtro autem in latere baſis in tres partes primum ſecanda eſt, quarum unam plinthus retinet, duæ uero in quinq; alias diuiduntur, & tres ſimam, duæ torū efficiunt. Simæ pars ſexta inferior, et tori tertia ſuperior pars, regulis duabus tribuūtur. Proiectura in figura expreſſa eſt. Superius cymatium ſiniſtrum eadem ratione qua & dextrum diuiditur.

Supra ſtylobatam collocatur ſcapus cū ſuo cymatio, quod hac ratiōe fiet. Tota ſtylobatæ latitudo in partes duas & uiginti diuidetur, earum ſedecim imus ſcapus craßitudinē habet, tres autē quæ reſtant ſunt cymatij altitudo.

Quod ſi ſedecim partes in unam coniungas, ſcapus octo partes tales cum uoluta & baſi ſua altus erit.

Cymatium quod ſtylobatæ imponitur dimidiam ſcapi craßitudinē habet. Diuiditur in tres partes, quarū ima faſcia eſt, earum uero partium quæ reſtant, pars tertia torus erit ſuperior, quod autem reſiduum eſt in ſex partes diuiditur, harum partium duæ medij aſtragali ſunt, & una regulæ ſub toro, dimidia uero regulæ ſupra faſciam cedet, regula uero quæ ſupra aſtragalos eſt medietate unius partis, & quæ ſub illis eſt integra parte conſtat: regula quæ ſupra torū eſt hoc modo fit, ſcapi craßitudine in duodecim partes diuiſa, unius partis mediū erit regulæ latitudo et proiectura. Omnis uero partiū cymatij proiectura in ichnographia (quā H



litera notauimus) oculis subijcitur.

Contractura scapi eodem modo quo et in prima Ionica fit, ut utrinq; duodecimam partem contrahatur.


Summitati scapi capitulum imponitur, cuius eadẽ diuisio est, quæ primi Ionici. Scapi enim craßitudine in partes undeuiginti diuisa, nouem earum cũ dimidia parte in latus transferantur, & media quidam pars regulæ supra simam cedet, integra una simæ, duæ trochilo, duæ echino, una astragalo, tres residuæ semicirculo uolutæ dantur. Qua autem ratione helix ducenda sit, in maioris capituli uoluta describetur.

Sequitur epistylium zophorus et coronix, quorum omniũ altitudo, altitudinis scapi pars quarta est, & distribuitur in decem partes, quarum tres epistylio, tres zophoro, quatuor cedent coronici. Epistyliũ ipsum in sex partes diuidendum est, quarum una simã facit, aliæ in duodecim partes diuidũtur, et tres imam, quatuor mediam, quinq; summã fasciam efficiunt. Earũ uero cum collocatio tum proiectura, pictura exprimitur.

Zophorus tribus denariæ diuisionis partibus constat, & entasim habet ex triangulo desumptam, ut in figura cernitur.

Coronix in sex partes secetur, prima denticulo ascribitur, cui tamen pars quarta simæ demitur, secunda echinum facit quarta parte diminutum, quæ regulæ cedet, ipse aũt echinus cum dẽticulo quadrate proijciatur. Duæ partes mutilis tribuuntur, una coronæ, ultima uero simæ. Quinta mutilorũ pars sima supra mutilos est. Mutili uero tam lati erunt quàm sũt alti. Coronæ tertia pars superior, simã constituit. Summæ uero simæ pars sexta supremæ regulæ ascribitur. Coronix tota altitudini suæ æqualiter proijciatur.

Sinistro in latere alia coronicis diuisio est. In undecim enim partes diuiditur, et infima simam, tres denticulum & echinũ, tres mutilos, duæ coronam, et duæ simam summam faciunt. Simæ infimæ pars tertia regulæ datur. Trium uero partiũ quæ echinum cum denticulo faciunt, media pars dẽticulus, et alia medietas echinus est. Denticuli pars quarta regula sub echino erit, echini uero pars septima regulam sub mutilis facit. Quinta mutilorũ pars simam in eorum summitate facit, alti uero æque ac lati sunt, proiectura altitudini dupla est, excauantur autẽ ea ratione quã in figura cernere licet. Corona nullã hic diuisionẽ habet, summa autem sima in sex partes diuisa, unam astragalus, tres sima quadrate proiecturæ retinet, quod supcrest abaco tribuitur. Colũna symmetrice dicto modo conficitur, & imi plinthi crassitudinem mediam decies & quater in altitudine habet. Scapus huius columnæ striatur quatuor & uiginti strigibus, eo modo quem in priori columna descripsimus.



IIII.
CORINTHIA I.

QVARTA colūna ob decus & gracilitatē ſuā formoſæ uirgini cōparatur. Altitudine columnæ in octo partes diuiſa, quinta pars unius octauæ à ſummitate aufertur. Octaua columnæ pars, inferior, in partes duas & uiginti diuiditur, quas literis a b ſignauimus, et tāta plinthi latitudo eſt: tribus uero utrinq; ad cymatij altitudinem omiſſis, ſedecim aliæ ſcapi craßitudinem conſtituunt.


Columna cum capitulo & imo cymatio, alta erit nouies quantū ſcapum craſſum eſſe diximus.

Baſis ſtylobatæ mediā ſcapi craſſitudinem in altitudine habet, eius pars quarta altitudo eſt plinthi, reſiduū in quinq; partes diuiditur, quarum una toro ſuperiori, alia uero quarta parte unius harum partium, addita, torus inferior eſt. Spacium quod inter duos toros relinquitur, in duodecim partes eſt diuidendum, duæ aſtragalos duos faciunt, dimidia pars regulam ſub toro ſuperiore, et alia medietas regulam ſuper aſtragalis, & ea quæ ſub aſtragalis huic æqualis eſt. Regula autē inferiori toro impoſita, unius partes duas tertias lata eſt. Ea autem quæ ſupra baſim eſt regula, hoc modo fit. Craßitudo ſcapi in duodecim partes diuidatur, earum unam ſcapus cōtrahitur, & mediam partem regula lata eſt, æquali etiam proiectura. Reliquarū partiū proiectura, in Ichnographia cymatij litera R notata, exprimitur

Capitulū quod in ſummo ſcapo collocatur, altum eſt quantum imus ſcapus eſt craſſus. Totius capituli pars ſeptima, eſt abacus in ſummitate eius, & æqualē baſi proiecturam habet. Ichnographia capituli, foliorū eius & uolutarum ratio, in maioris capituli deſcriptione tractabitur.

In fine ſcapi tenia eſt alta duodecimam partem craßitudinis ſcapi, & in tres partes diuiditur, unam regula, duas capit aſtragalus, proiectura altitudini æqualis eſt. Columnæ huius ſcapus eadem ratione contrahitur qua Ionicæ prioris. Striatur autem eo modo quo poſterioris Ionicæ ſcapus, ſed altitudinis partiū triū infima uelut baculo inſerto oppletur, ut in figura cernitur.

Capitulum eiuſdem altitudinis Epiſtylium ſequitur, cuius ſeptima pars ſima eſt, in tres partes diuidenda, harū una regula, duæ ſunt ſima. Quod ſupereſt Epiſtylij in duodecim partes diuiditur, quarum tres imæ faſciæ, quatuor mediæ, & quinque ſummæ tribuuntur. Sūmæ faſciæ



octaua pars astragalū sub fascia efficit, mediæ item fasciæ octaua pars astragalo cedet: ea autē ratione proijciuntur & collocantur quæ in figura cernitur.

Zophorus sequitur, cuius altitudo hoc modo fit: Epistylium in quatuor partes secetur, quinq; tales zophorus altus est.


Zophori pars octaua sima est, quæ in tres partes diuiditur, unā regulæ, duas sima uendicat. Simā sequitur denticulus altus cum sua regula quàm est media epistylij fascia, ipsa autem regula septimā altitudinis partem habet. Denticulus altitudini suæ æqualiter proijcitur, ipsi uero dētes mediam altitudinis partem lati sunt, & spacium quo distant duas latitudinis tertias partes habet.

Denticulo Echinus imponitur, tam altus, quàm ima epistylij fascia.

Corona huic imponitur eiusdem altitudinis cuius media epistylij fascia, huius duæ partes fasciā, & tertia simam fasciæ impositam facit.

In ipsa columnæ summitate coronix siue sima summa collocatur, huius altitudo media epistylij fascia septima parte maior est, quæ etiam pars regula supra simam erit quadrate proiecta. Coronix uero quadrate proijcietur additis duobus quadratis regulæ.

Atq; hæc est huius colūnæ symmetria et proportio, qua ueteres architecti, Corinthi, Romæ, Venetijs, alijsq; in locis usi sunt.



IIII.

CORINTH. II.

Columna Corinthia secunda, ꝓprietate sua priori absq; stylobata similis fere est, uerum firmius quiddã ac maius præ se ferre uidetur.

Altitudine columnæ in nouẽ partes diuisa, duas stylobata retinet, quæ in nouẽ partes diuiditur, quarũ una basis, altera coronix stylobatæ est, reliquum in quinq; diuiditur, & huius sectionis tres partes stylobata in latitudine habet.


Basis stylobatæ in quinq; partes diuidatur, et duæ plinthus erunt, reliquum autẽ in quatuor partes diuidendum est, harũ torus inferior unã, duas sima accipit, residuam astragalus supra simam, huius tertiã partem sibi uendicat regula. Simæ pars quinta regula supra torũ est. Proiectura sexta pars latitudinis stylobatæ est, aliarum partium proiectura in figura depingitur.

Coronix stylobatæ in duas partes secetur, prima fascia erit cum sima tertia sui parte, secunda pars in quatuor alias diuiditur, harum una sima inferior erit, triũ uero residuarum partium, dimidium fascia supra simã, & alia medietas echinus sub fascia erit. Coronicis proiectura eadẽ quæ et basis, ut quadrate emineat.

Stylobatæ imponitur scapus cũ basi sua, quæ hac ratiõe distribuitur, tota latitudo stylobatæ in sex partes diuidatur, earũ quatuor scapus crassus erit, utrinq; una remanet latitudini basis.

Columna, basi sua & capitulo adiuncto, alta est nouies, quã crassus est imus scapus.

Basis scapi mediam eius craßitudinẽ habet, latitudinis quarta pars plinthus est, tres uero quæ restant in quinq; partes diuidantur, earum una est torus superior, alia autem quarta unius quinq; partiũ addita, torus erit inferior supra plinthũ. Spatiũ quod inter duos toros relinquitur, in duodecim partes est diuidendum, duæ medios duos astragalos faciunt, media pars regulam sub toro superiore, alia medietas regulam supra astragalos, & alia medietas regulam sub astragalis conficit. Regula supra basim scapi, cui duodecim partes inscriptæ sũt, fit hoc modo, scapi craßitudo in partes duodecim secetur, utrinq; una scap contractura est, unius medietas latitu o regulæ est, ac integram partem p emineat. Aliarum partiũ proiectura in ichnographia litera R signata, exprimitur.



In summo scapo capitulũ collocatur, tam altũ quàm crassius est imus scapus. Altitudo eodem modo quo et in priori Corinthia distribuitur. Volutæ uero ac foliorũ ratio, in maioris capituli figura declarabitur.

Sub capitulo tenia est, duodecimã partem latitudinis scapi alta, in tres partes diuisa, una regulæ, duæ astragalo cedent, cuius proiectura altitudini æqualis erit. Contractura scapi eadem quæ & Ionicæ prioris.


Columna hæc striari potest eo modo quo Ionica, aut eo modo quo Corinthia prior, ueluti in ichnographia capituli designatur.

Capitulo imponuntur epistyliũ, zophorus, coronix: omnia hæc alta quartam partẽ altitudinis scapi, hãc distributionem habent, quarta parte in decẽ diuisa, tres epistylio, tres zophoro, quatuor coronici dabuntur. Epistylij septima pars simam, summã epistylij partem, facit, residuum in duodecim partes diuidẽdum est, tres igitur fasciam imam, quatuor mediã, quinq; summam faciunt. Summæ fasciæ ima octaua pars dematur astragalo, eodem modo media fascia astragalum habebit. Proiecturam et collocationẽ figura exprimit. Tres è decem partibus zophorum ut dixi faciunt.

Coronix in dextro latere secetur in partes nouem, earum una simam supra zophorum, duæ echinum, duæ mutilos, duæ coronam, duæ simã supremã faciũt. Echino in septẽ partes diuiso, duæ utrinq; regulis tribuũtur. Mutilorum pars quarta, simam minorem supra mutilos facit. Simæ uero supremæ pars quarta, constituit paruam simam supra coronam: residuũ uero in sex partes diuidendum est, harum suprema regulæ ascribitur. Proiectura coronicis quadrate fiat. Mutili tã lati erunt quàm alti sunt, & tãto spacio distabunt, quantũ eminent, ut in figura cernitur.


Sinistro in latere altitudo coronicis in quinq; partes diuidẽda est, una echino cum regula, duæ mutilis, una corõæ, una simæ dabitur. Echini pars tertia, regulæ cedet. Mutili in octo partes diuidantur, summa coronæ cõiungitur, alia sima in summitate mutilorum erit. Fasciæ mutilorum ea ratione qua epistylij fiunt, ac ipsi mutili in longum, latum, altum & crassum quadrati erunt, distantia eorum talis erit, ut coronæ superioris quadratum intersit. Coronæ tertia pars simam facit. Suprema uero sima in sex secatur, & earum summa regulæ datur. Coronicis proiectura quadrata erit, tantũ nempe eminens quanta est altitudo.

Corinthia igitur secunda hac ratione quam descripsimus idoneã sortietur symmetriam & proportionẽ, ac nona parte altitudinẽ finiet, ut in figura cernitur. Corinthiacum hoc genus columnarũ, Romæ reperitur in templo quod Mariæ Rotundæ nominatur, Pantheon quondam appellatum.



Ordre Composite

[illegible]



V.

COMPOSITA.

QVINTVM hoc genus colūnarū ex alijs generibus cōponitur. Altitudine eius in partes tredecim diuiſa, ſtylobata tres alta eſt: hanc in decē partes diuides, ſumma pars coronix, ima baſis, & reſidui dimidium latitudo ſtylobatæ erit.

Baſis ſtylobatæ in ſeptē partes diuidatur, duæ partes faſcia, una torus, duæ ſima, una trochilus, una aſtragalus erit. Aſtragali pars tertia regulam ſupra ſcotiā facit, ſuperior autem regula, mediam aſtragali latitudinem habet. Simæ ſextæ partes utrinq; regulis demuntur. Craßitudo baſis, ſexta pars eſt latitudinis ſtylobatæ. Proiectura partium in figura deliniatur.

Coronicis ſtylobatæ dextrum latus diuidendum eſt in partes quinq;, una cedet aſtragalo ac regulæ, duæ zophoro, duæ coronæ. Coronæ pars tertia ſimam, duæ aliæ faſciam efficiunt. Zophori quarta pars, regula ſub corona eſt. Altitudo coronicis eadem quæ & baſis.

Siniſtrum latus coronicis in ſeptē partes diuiditur, una aſtragalo & regulæ dabitur, duæ zophoro, una echinulo, tres coronæ, ſic ut pars una ſimam, duæ faſciam conſtituant. Singulæ partes quadratę proijciantur, id eſt, ut proiectura altitudini unius cuiuſq; æqualis ſit.

Scapus ſtylobatæ imponitur, cuius craßitudo eadem ratione qua & Corinthiæ columnæ conficitur. Nempe latitudine ſtylobatæ in ſex partes diuiſa, quatuor craßitudinem ſcapi, remanentes duæ, baſis eiuſdem altitudinem faciunt.

Columna alta eſt, quantū eſt craſſus imus ſcapus decies, cum baſi ſua & capitulo.

Baſis uero ſcapi alta eſt, quantū craſſus eſt medius imus ſcapus. Eaſdē partes, & cum Corinthia eandem ſymmetriā habet.

Regula impoſita baſi, cui partes duodecim inſcriptæ ſunt, fiat hoc modo. Craßitudo ſcapi diuidatur in partes duodecim, partium duæ contractura ſcapi ſunt, dimidia pars latitudo regulæ, tota uero eius proiectura erit.

Capitulum, ſcapus, tenia, cōtractura, à Corinthia petuntur. Striari autē columna poteſt, tum Ionico, tum etiam aliquando Corinthio modo.

Capitulo epiſtylium imponitur, altum quantum craſſus eſt ſummus columnæ ſcapus. Diſtributio eadem eſt, quæ & Ionici & Corinthij capituli, ut in figura cernitur.

Eiuſdem altitudinis, cum mutilis zophorus, epiſtyliū ſequitur, ſexta zophori pars ſima ſupra mutilos erit. Mutili eiuſdem cum altitudine latitudinis ſunt, excauantur item ut in figura apparet, ſpacium quod inter duos relinquitur quadratum erit.

Zophoro æquali altitudine coronix imponitur, pars coronicis dimidia ſimæ cedet, altera coronæ ſupra mutilos. Coronæ pars quarta quæ ſupraeſt, ſimā facit minorem. Supremæ ſimæ pars ſeptima abacus, erit. Singulæ uero coronicis partes quadratæ proijciantur.

Dextri lateris pars ſuperior (hæc enim ſiniſtri diſtributio fuit) in ſex partes diuidenda eſt, harū ima echinū ſub ſima, tres ſi-

mã, duæ abacum constituunt. Corona æquã simæ, quæ supra mutilos est, piecturã habet: sima uero superior quadrate ,pijcitur.


Hac ratione uerã habens symmetriam colũna hæc, tredecim partibus altitudinem terminabit, id quod in columnis Amphitheatri Romani apparet.


Qua uero ratione simarum inflexio, quam undam nominãt, fiat, figuræ tres literis H. M. N. signatæ ostendunt.


Si altiore in loco columna hæc collocanda fuerit, basis scapi Ionicæ primæ, aut prioris Corinthiæ modo fiat.


QVOMODO HIS COLVMNIS utendum sit.

Ne mireris, studiose lector, Tuscanæ, columnæ stylobatã, parte una cymatio carere. Nam cum firma sit ac rudis, & usum habeat in magnis ædificijs, munitionibus, armamentarijs, quo minus spacij occupet, néue transferendis tormentis impedimento sit, cymatium ei adimitur. Vsurus igitur his columnis architectus, diligenter secũ considerabit, quænam operi suo maxime conueniant. Aliud enim alio crassius ac firmius est, ut in Præfatione indicauimus. Ipse igitur architectus statuet, quodnam genus ædificio suo aptissimum sit: ac suo arbitratu, columnæ scapum dimidia uel integra sui parte, potest longiorem efficere. Sin autem duæ columnæ sibi inuicem imponendæ fuerint, inferior superiore quarta parte sui altior erit, eamq; habebunt distributionem quam figura ostendit. Diligenter etiam prouidendũ est, ne in columnarũ mutua impositione ordo mutetur, ut Doricam Corinthiæ, aut Tuscanam Doricæ imponas. Dorica enim Tuscanæ, Ionica Doricæ, Corinthia Ionicæ, & Composita Corinthiæ superimponitur. Quandoq; tamen, Corinthia Doricæ, Composita Ionicæ uel Doricæ, Ionica Tuscanæ imponi potest: quæ tamẽ omnia architectus diligens, adhibito iudicio, operi accommodabit.









Chapiteau Ionien

[illegible]


Chapiteau Corinthien

IONICVM
CAPITVLVM.

IONICI Capituli distributio hæc est. Facta basi scapi, eo modo quo prius descripta est, scapus sexta crassitudinis parte cõtrahitur, ueluti figura ostẽdit. Latitudo hæc imi scapi dimidia, diuidatur in partes nouẽ, quas in summitatẽ columnæ transferes, dimidia parte addita. Nouem hæ partes cũ dimidia, adiunctæ lateri sic distribuuntur, media pars abacus erit, sequens integra sima, duæ trochilus, duæ echinus, sexta astragalus. Is diuisus in partes quatuor, utrinq; parte una regulam facit, ipse duas retinet. Nouem partiũ tres quæ supersunt, semicirculo uolutæ dabuntur.

Voluta, hac ratione ducenda est. Voluta tantum emineat, quantum basis stylobatæ. In mediũ deinde octo partium ponatur circinus, à sima ducatur semicirculus, lineam occultã quæ à stylobatæ proiectura ducitur, contingens. Per centrũ semicirculi ducatur linea perpẽdicularis occulta, et eodẽ centro ducatur circulus cuius diameter octo partium uni æqualis est. Huius circuli diametrũ in sex partes diuide, numeris 1 2 3 4 5 6 7 signatas. Primæ ergo parti pede circini imposito, & altero ad simam extenso, semicirculum duces: posito deinde pede circini in punctum 2. alterum ad semicirculum eo extendes, ubi lineam per centrum ductam contingit, & hoc interuallo alium semicirculum interiorem duces: tertio circini pedem alterum puncto 3. signato impones, & altero ad finem secundi semicirculi extenso, alium semicirculum exteriorem duces: quarto eodem fixo ad punctum 4. signatũ translato, & extenso ad infimam semicirculi modo ducti partem, semicirculum in parte interiori duces. Quinto pones eundem circini pedem immobilẽ in punctum 5. & alium ad superiorem diametri partem in contactũ ultimi semicirculi extendes, ac semicirculum delineabis. Postremo transferas circinum ad punctum 6. et pede uno ad summitatem diametri circuli minoris extenso, semicirculum ducas. Punctum uero 7. signatum centrum est circuli parui, cui reliqua puncta inscripta sunt, numerorum notis signata.

Voluta hac ratione perfecta, echinus cũ astragalo quadrate proijciatur, ut in figura H litera signata apparet. Ouiculi echini, semicirculi rotunditatem habent, & ea quæ in figura exprimitur ratione distribuuntur. Sub uoluta zophorus consistit, quatuor de nouem partibus continens: & sculptus eo modo quem figura exprimit. Tenia in Ionica prima describitur.



CORINTHIVM CAPITVLVM.

CORINTHIVM Capitulum hoc modo conſtruitur. Facta baſi ſcapi, & eius ſumma tenia, ea ratione & modo quem prius in Corinthiæ columnæ deſcriptione expoſuimus: capitulum tam altum fiat quàm craſſus eſt imus ſcapus, ueluti circulo deſcripto expreßimus. Altitudo hæc capituli ſecetur in partes ſeptem, ſumma abacus erit, cum flore i litera ſignato. Abaci pars tertia toro ſuperiori cedet, et proiecturam eandem quam baſis ſtylobatæ habet. Sub abaco faſcia eſt dimidiã ſeptimĩ partem lata, & imo ſcapo æqualiter eminet. Mediæ uolutulæ ſeu minores helices, circulum uni parti æqualem habent, uolutarum uero, quæ in angulis ſunt, rotunda circinatio duas partes complectitur. Quá autem ratione folia atq; uolutæ ducãtur ac diſtribuantur, in deformatione capituli ſufficienter exprimitur. Proiecturam linea á faſcia ad torum ducta deſigñat.

Ichnographiæ capituli deliniandæ hæc eſt ratio. Circulum primo ſummo, deinde eodem centro, alium imo ſcapo æqualem, duces. Circulo exteriori quadratum circũſcribas, circa quod alium circulum, qui tantum quantum flores eminet; huic circulo aliud quadratum circumſcribes, & ſic tota capituli quadratura perficietur. Quadratum deinde duobus diametris ſecabis, quorum quiuis craßitudini imi ſcapi æqualis eſt.

Abacus hac ratione fiat. Anguli tantum emineant, quantum quadratũ exterius, minores uero & tranſuerſi anguli, tantum quantum ſcapi plinthus, eminent: ueluti occultis lineis in figura deſignauimus. Linea inflexa abaci ſic ducitur. Circinum latitudine quadrati expandas, & duc lineam trianguli, ut in primæ Corinthiæ figura deliniatur. Hæc igitur linea tanto ſpacio ſecabit circulum, quantum floris quadratũ eſt. Hæc tamen omnia in capituli ichnographia, oculis ſubijciuntur.

